



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

31. Obitus sui prænoscit te[m]pus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

quidam aiunt, suadentibus Lusitanis, fixus nihilo lentiùs in proposito eundi pergebat vir sanctus, cum à nauarcho item nusquam apparente contra pacti fidem desertus est. Nec his quoque tot aduersantibus infractus, generosos conatus in regnum Siani retulit vbi fama inter nautas iactabat, legationem publicè ab Rege ad Imperatorem Sinarum in annum proximum adornari. His ardentem curis ac desiderijs, diuina bonitas per legatum alium conuenit, hoc est mortis vicinæ certissimum nuntium quo ab eo in cœlum vocabatur.

Goa quidem abscedens, iam inde præceperat, nunquam se illuc rediturum; familiaribus nonnullis, & Cosmo Annesio nominatim, sciscitantibus, ecquando inuicem reuisuri? in vita nunquam, responderat, sed in cœlo, vel vt serius in valle Iosaphat. In Sanciano præterea Lusitanis sex circum adstantibus; vasa, inquit, ad iter in cœlum, & mortem paremus, annum insequentem pars nostrum maxima non videbit, & vero ex iis quinq; ue illo anno, in quibus ipsemet, obiere. Restabat diem denique, ac horam beati ad cœlos transitus prænosset. Sed neque id illum celauit Deus & Aghiarus nauclerus, fuisse sibi ab eo indicatum iureiurando asseruit. Tam dulcis, & amica parati præmij denuntiatio, omnes eius deinceps cogitationes, ab Sinis in quibus penitus habitabant, in cœlum reuoluit; tempus omne quod morbo præcessit, in eo ponere, deambulare secus mare, erecto in cœlum aspectu & animo, totusque, beatis lacrimis & desiderijs incendi, nihil iam nisi de morte, colloqui, de vitæ huius diuturno tædio, de illa nunquam desitura, nullis interpungenda labeculis, Deo æternum potitura, eundemque æternum amatura.

Die Nouembris vigesimo, eoque dominico, sacris operatus, febri corripitur, quodque illic tolerabilius nihil esset, in nosocomium cum ægotis, hoc est in nauim se recipit. Verum longo quotannis quadrimestri, à Nouembri ad Februarium, cum sinum illum infestent aquilones qui fauces portus, & insulam tribus milliariibus distantem interfuit, portumque ipsum eodem impulsu vexare soleant, fluctuatione illa perpetua nauseans vir sanctus, mentem in Deo tranquille, & integrè prohibebatur desigere. Quare postridiè Ludouicum Almeidam præfectum rogauit, vt se in terra deponi mandaret: proiectum in littore conspicatus misericors, & beneuolus Lusitanus Georgius Aluares, ferre non potuit, per aquilonum frigus seuißimum, virum talem tam indignè iacere; transferri iussit in suam mapale non longe à mari, exiguo colli è ramis & palea instructum, cœli quidem iniurijs peruium, sed deteriori commodius: Die insequenti dolor lateris ingrauescens, pleuritidis fecit inditium. Quare ab Aluare rogatus vt venam laxari pateretur, velut in eius foret arbitrio qui sibi tectum præbuerat, mittendo sanguini brachium porrexit, quanquã gnatus chirurgos cuiusmodi posset is locus comodare. Nec suppetebat alius præter nauis chirurgum, in arte nouitium ac rudem, qui venam secuit adeo imperite vt conuulsis nervis animo linqureretur, & exinde cibum omnem horreret, quem sane horrorem lenire non

31

Obitus sui  
prænoscit tē-  
pus.

32

Supremus  
Xau. morbus.